AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA
DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVII. MENSIS IANVARII.

Magiſtro SIMONE BASIN, Doctore Medico Regio moderatore. 625

An expectandus die critico naturæ motus?

NATVRA & lege diſpenſantur omnia: natura omnibus per omnia ſufficit, lex omnibus dominatur, natura fundamentum legis, lex principium naturæ: lex & natura conſona, diſſona: lex opinio eſt, natura ipſa rerum veritas: hæc quanquam ἀδίδακτος & exlex, immutabiles tamen leges & artes, tùm ad tuendam ſanitatem, tùm ad morbum, humoris noxij coctione, ſecretione & excretione profligandum retinet & molitur: Quod dum aſſequi conatur, ſtatis diebus dimouetur, pugnam cum morbo ſemper aggreditur, aliquando cum Medicis & Clinicis, frequenter cum ægrotis, ſæpiſſimè cum externis: Hinc certaminis huius exitus, ſi ἀξιόλογον & ὀξύῤῥοπον morbi mutationem coniunctam habeat, criſis denominatur ſalutaris aut exitialis, perfecta imperfecta, fida infida, ſecura periculoſa, manifeſta obſcura, εὔσημος ἄσημος.

HVMOR noxius morbi fomes & comes idem qui & naturalis, eadem enim ſunt principia vitæ & interitus, ſanitatis & morbi: ſanguis, pituita, bilis duplex temperie, facultate, copia moderata, immoderata, permixta, ſecreta, ſunt homini ſanitas & morbus, quorum color οὐχ ὁ μὴ ἀμπωτὶς ἐπὶ velut florum, atque vt vita tota ſeptendialis eſt ita & morbus: Genitura vtero excepta ſeptem diebus habet quæcumque corpus habere debet. Puer ſeptimeſtris in lucem editus certa ratione viuit: eidem vbi ſeptem menſes à natiuitate impleuerit, dentes apparere incipiunt: vbi ſeptem annos deſinunt exoriri, inedia ἑπταήμερος lethalis: morbi verò acutiſſimi iiſdem diebus iudicantur, tertiani, quartani, quintani. Tertiani vna & dimidia hebdomada, quartani duabus hebdomadis, quintani duabus hebdomadis & dimidia: Ideoq; Medicum qui de ægrorum ſalute coniectare ſtudeat animaduertere oportet omnes dies, & potiſſimum contemplari per ternarios ac quaternarios, ternarijs quidem omnibus coniunctis, quaternarijs verò duobus diſiunctis, & duobus copulatis: quaternarij tamen coniuncti potentiùs decernunt quàm diſiuncti: ideoque decimus ſeptimus decimo octauo, vigeſim᷒ vigeſimo primo, trigeſimus trigeſimo primo, quadrageſimus quadrageſimo ſecũdo in decernẽdo sũt efficaciores.

CRISIMI dies appellantur, quibus cum ſignis decretorijs & acceſſione morbi cõtingit ſolutio, ſiue pares ſint, ſiue impares: decimus quartus, vigeſimus, trigeſimus quartus ex imparium numero ſunt: acuti cum ſudore imparibus iudicantur, diuturni paribus: hinc ſudores boni tertio, quinto, ſeptimo, nono, vndecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, vigeſimo, vigeſimo ſeptimo, trigeſimo & trigeſimo quarto: morbi enim iiſdem diebus ſoluuntur quibus exacerbantur: neque tamen omnes ex æquo dies iudicant: ſed alij ſunt indices & θεωρητικοὶ, alij iudices & principes, alij intercidentes, alij nec indicant nec iudicant: Septenorum quartus eſt index, vndecimus & decimus ſeptimus contemplabiles, ille enim ſecundæ, hic tertiæ quartus eſt ſeptimanæ. Principum fortiſſimus eſt ſeptimus, vigeſimus perfectiſſimus: Incidentes ſunt tertius, quintus, nonus, quibus dum criſis προεῤῥάγνυται quicquid aggreditur natura id præter inſtitutum molitur, eruptione prius factâ quàm oporteat irritata, quibus qui iudicatur morbus eſt φιλυπόστροφος, irritatur natura foris & intus vt à Medico, ægroto, miniſtris & externis, ſic & à morbo eiuſque causâ & acceſſionum vehementiâ.

VT in diebus verè criticis (cuiuſmodi ſunt ſeptenarij) definiti ſunt & certi naturæ motus, in coincidentibus verò inordinati & incerti, ſic vtriuſque effectus diuerſa ſunt principia: cœlum & materia elementaris, quæ naturam adiuuant aut interturbant: Cœli ſoliſque præcipua virtus immutabilis conſtans & rata, materia verò elementaris flexilis, mutabilis & diuidua: Et quanquam ſol omnium rector & moderator exiſtat, luna tamẽ velut eius ὕπαρχος quia extima cœlo & citima terris regẽdæ huic inferiori plagæ deſtinata eſt, & pro varijs ad ſolem (à quo lumẽ mutuatur) ſchematiſmis atque affectibus terrena hæc immutat: Alios enim effectus cum ſole congrediẽs, alios diſcedens aut accedens: alios diametra, alios in habitu exagono falcata: alios in tetragono dimidiata, alios denique in trigono gibboſa producit: Congrediens cum ſole validiſſima eſt, deinde cum pleno orbe lucet, minùs cum eſt διχότομος obſcurè falcata, gibboſa verò obſcuriſſimè: Silẽtis lunæ mutationes diuturnæ, diametræ verò celerrimæ: Et vt ſol diuturnos morbos & annum integrum regit atque in quatuor diſtinguit tempeſtates, ſic acutos menſem & quaterniones luna moderatur atque in quatuor partitur ſeptimanas lõgiores, breuiores pro ratione circuitus communis & proprij, neque enim annus, neque menſes, neque ſeptimanæ ipſę integris diebus numerari poſſunt.

MORBORVM mutationes aut ab innato & inſito principio promanant aut à communi vt aëre: atque illas quidem luna proprio circuitu excitat & efficit, has verò communi: hinc fit vt in quaternionibus, & potiſſimum in ſeptimanis vnicus legis ſeu artis in victu moderando ſit ſcopus (qui tum quanquã debet eſſe tenuiſſimus, tamen ταῖς συμπτώσιαις non eſt ad extremum ducendus): nam quæ iudicantur & iudicata ſunt ἀρτίως, ea nec mouere nec medicamẽtis, nec alijs irritamentis nouare oportet ſed ſinere: Criſis venturæ bonæ vel malæ certa ſunt indicia antecedentia, comitantia & conſequentia: Antecedentia ſunt humoris noxij pari vel impari die motus, coctionis aut cruditatis (quę in alui excrementis, vrinis & ſputis deprehenduntur) ſigna manifeſta, obſcura, vel media: ſecura aut periculoſa ſymptomata: Comitãtia verò, acceſſionum vehementia, inſignis corporis ægroti perturbatio & iactatio, diſpnœa repentina, delirium, côma, caligo, lachrymæ, oculorum rubor, temporum grauitas, colli & capitis dolor, inferioris labri tremor, concuſſio, aut contractio, ſtomachi vellicatio & morſus, hypochondriorum eleuatio & inexhauſta ſitis: Conſequentia denique bona præſertim, quæ & λυτήρια, ſunt ſudores boni toto manãtes corpore, vrinæ multæ, alui copioſæ deiectiones, vomitus inſignis, ſanguinis è naribus, ex vtero & hæmorrhoidibus profuſio, parotides, aut in parte ignobili abſceſſus, quibus ſi quæ ex pulſibus & morbi atque temporum conſtitutionibus ſigna petuntur adiecerit eruditus Medicus & in artis operibus exercitatus, non ſolum de futuro morbi euentu certo poterit pronunciare, Sed etiam an die criſimo criſis perfecta ſit aut imperfecta explorare.

Ergo expectandus die critico naturæ motus. 72

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS LAMBERT Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Girardet.	*M. Franciſcus Guenault.*	*M. Joannes Rioland.* P. R.
M. Antonius Robin.	*M. Joannes Merlet.* M. R.	*M. Andræas le Gros.*
M. Claudius Geruais.	*M. Gabriel Hardoüin de S. Iacques, Decanus.*	*M. Ioannes Mercier.*